

tocius capituli Mersburgensis ecclesie bona voluntate et consensu unanimi accedente et
 quod predictae sanctimoniales sic incorporate predicto ordini omnibus privilegiis et liber-
 tatibus ordinis temporibus eiusdem predecessoris nostri gaudebant et use fuerunt pacifice
 et quiete, reservatis tamen eidem predecessori nostro et ecclesie nostre suisque succes-
 soribus omnibus iuribus episcopalibus, que venerabiles patres et domini Misnensis et 5
 Nuemburgensis ecclesiarum episcopi consueverunt in monasteriis Cisterciensium ordinis
 suarum dyocesium recipere et habere de iure communi vel de consuetudine approbata et
 antiquis temporibus observata. Sane quia, quod a sepe dicto predecessore nostro factum
 esse dinoscitur in premissis, ratum et gratum habentes ad instantiam diutinam venerabilis
 patris et domini Witegonis Misnensis episcopi nec non domini Heinrici illustris principis 10
 marchionis Misnensis indulgemus et permittimus habito super hoc consensu totius capituli
 nostri, quod supra dicte sanctimoniales sint et permaneant incorporate ordini Cystercien-
 sium cum omnibus iuribus et libertatibus eiusdem ordinis, hoc adiecto, quod abbati Por-
 tensis monasterii suisque successoribus Nuemburgensis dyocesis perpetuo sint subiecte et
 tam nobis quam nostris successoribus respondeant de iuribus episcopalibus, prout superius 15
 est expressum. Ut autem premissa rata permaneant et perpetuo perseverent, eandem
 litteram super premissis conscribi fecimus et sigillis nostro scilicet et capituli nostri in
 testimonium roborari. Datum et actum in curia nostra Merseburg anno domini M C C LXXIX,
 II. nonas iulii, pontificatus nostri anno XIII, presentibus testibus infra scriptis: venerabili
 domino Witegone episcopo Misnensi, domino Burchardo abbate Cellensi, Ludolpho pre- 20
 posito, Kunemundo decano, magistro Geuehardo thesaurario Nuemburgensis ecclesie,
 magistro Theoderico preposito Budesinensi, magistro Dangmaro thesaurario Mersburgensi,
 fratre Heidenrico et fratre Heinrico monachis Cellensibus, Richardo et Bartholomeo fra-
 tribus de Liuenowe et aliis quam pluribus tam clericis quam laicis fide dignis.

(S.)

(S.)

25

273.

*Friedrich, Bischof von Merseburg, ertheilt denjenigen, welche das Nonnenkloster in Grimma an be-
 stimmten Tagen besuchen und demselben milde Gaben reichen, vierzig Tage Ablass.*

Merseburg, 1282 Mai 28.

*Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 1019. Das wohlerhaltene S. des Bischofs an einem durch Los- 30
 trennung des unteren Randes der Urkunde gebildeten Pergamentstreifen.*

Gebr.: Neue Beiträge von alten und neuen theolog. Sachen 1757, 166 f. Hasche Magazin 6, 176.

Fridericus dei gracia Mersburgensis ecclesie episcopus omnibus hanc litteram |
 inspecturis salutem in domino. Cum abbatissa et conventus dominarum in | Grimmis ad
 edificiorum dilapsorum renovaciones nec non ad personarum | sustentacionem ipsius loci, 35
 ad que proprie non suppetunt facultates, piorum deposcant subsidiis adiuvari, omnibus
 vere penitentibus et confessis, qui ad monasterium earundem in diebus patronorum ac aliis
 festis principalibus nec non per octavas devote convenerint nec non ipsis suas elemosinas
 fuerint elargiti, XL^a dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus. Datum Mers-
 burg anno domini M C C LXXII, v kalendas iunii, pontificatus nostri anno XVII.

(S.)

40